



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 2. An, & quomodo Deus sit author monstrorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

oculos se fuisse, vehementer doluerunt, tametsi non à natura, vt Arimaspi, sed ab euentu tales essent. Ita & alij dolent, qui sibi à natura nouerca cum caussa deformitatis, caussam quoq; doloris datam fuisse arbitrantur, & querelarum.

§. II.

An, & quo modo Deus sit author Monstrorum?

His in remedium sciendum est, etsi monstrum, quia teste Aristotele, *dis simile quidam est, & obliquum ac lesum*, sit vitium naturæ, ob aliquod impedimentum, à fine suo, deficientis; atque adeò licet caussa impedita per se non tendat in monstrum, tamen ratione Dei, qui rerum omnium euentus & prouidentia sua præuenit, & sapientia disponit, nulla monstra fortuito aut casu euenire. Tametsi igitur, cum illa generantur, caussa impedita & particularis dicatur à suo scopo deflectere, (cupit enim bos vitulum, non autem agnum generare) illiq; effectus fortuitus esse; tamen Deus suo non frustratur, qui & in monstris est gloriosus. Sicut enim Indi ex ipsis etiam inter se se colligatis cucurbitis ratem conficiunt, qua flumina traijciunt: ita

Aristot. 4.
de Gene-
rat. ani-
mal. c. 3.

Io. Lud.
Gottfrid.
in hist.
Antipod.
part. 1.
pag. 14.

ita & Deus è vilissimis rebus effectus pro-
ducit pretiosos. Hinc cum caussa tam im-
pedita, quàm impediante simul concur-
rens absolutè efficaciterque vult generari
monstrum. Neque enim omnium particu-
larium caussarum fines absolutè, sed con-
ditionatè duntaxat destinat; si scilicet non
aliunde impediuntur. Nam si impedian-
tur, ad earum se confluxum, naturas, mo-
dumque accommodat; & vnà cum cir-
cumstantijs, immò cum rebus circumstan-
tibus operatur. Hinc sicut ex tauro & vac-
ca taurus; ita ex tauro & Pasiphaë Mi-
notaurus prodit, prima caussa concursum
suum æquè ad vnum, atque ad alterum ef-
fectum non denegante, vt vniuersalis pro-
uidentiæ ordinem seruet, qui non solùm
exigit, vt Deus vim det caussæ impeditæ,
sed etiam vt virtutem agendi caussæ impe-
dienti non subducat, atque adeò, vt, sinat
fieri, non quod ab vna sola, sed quod ab
vtraque simul potest fieri; vel certè, quod
fieri potest à caussa præualente, vt post, D.
Augustinum, D. Thomas perspicuè decla-
rauit. Eleganti rem similitudine explicat
Boëtius. Nam quemadmodum lineæ à
centro ductæ omnes circumferentiæ am-
bitu

S. August.
lib 38 qq.
q 24.
S. Thom.
3. cont.
gent. c. 9.

bitu

21. p. q.
103. a. 7. &
q. 22. a. 4.
Boët. l. 4.
de conso-
lat. prof. 6

bitu continentur, neque vlla exorbitat, quacumque parte tendatur; (si enim in hoc peripheriæ punctum non incidit, in aliud necessariò incurrit) ita in hoc vniuerso, si quidpiam à præscripto sibi ordine particulari discedit, in alium ordinem redit vniuersalem. Itaque etsi non intendat monstrum natura particularis, intendit tamen natura vniuersalis, intendit ipse Deus, qui causam impeditam & impediens, non sine sapienti consilio, finit concurrere. *Quisquis vspiam nascitur homo, id*

S. Augu-
stin. l. 16.
ciuit. c. 8.

est, animal rationale mortale, inquit D. Augustinus, quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, siue motum, siue sonum, siue quamlibet vim, quamlibet parte, qualibet qualitate natura, ex illo protoplasto uno originem ducere nullus fidelium dubitauerit. Monstrum ergo si ipse fecit, bene fecit, quia *omnia bene fecit.* Summus quippe est artifex, qui etiam in ipsis naturæ erroribus non potest errare: & quæ deformia sunt, nouit conuertere in pulchritudinem Vniuersi, sine iniuria cuiusque.

Sap. 6. 8.

Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquã: quoniam pusillum & magna ipse fecit, & equaliter illi cura est de omnibus. §. III.